



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Concilium Saltzburger In Causa Ecclesiasticae Disciplinae, tempore
Friderici archiepiscopi habitum anno Domini MCCLXXXI. sub Martino papa
quarto.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

ANNO
CHRISTI
1181.

CONCILIVM SALTZBURGENSE
IN CAUSA ECCLESIASTICÆ DISCIPLINÆ,
tempore Friderici archiepiscopi habitum anno Do-
mini MCCLXXXI. sub Martino papa quarto.

TITVLI CAPITVLORVM.

- | | |
|--|--|
| I. De alienationibus ecclesiarum. | XI. De residentia plebanorum. |
| II. De dispensatione & pralato-
rum ratione facienda. | XII. De aduocatis ecclesiarum. |
| III. De ieiunio religiosorum. | XIII. De his qui violentas ma-
nus mittunt in clericos. |
| IV. De monachis & regularibus
proprietas. | XIV. De his qui loca sacra exe-
crauerint violenta sanguinis ef-
fusione. |
| V. De habitu religiosorum. | XV. Contra patronos & indices,
qui bona decedentium clerico-
rum inuadunt. |
| VI. De discursu religiosorum. | XVI. De psalmo, Domine quid
multiplicati sunt. |
| VII. De capitulis episcoporum, ab-
batum, & aliorum prelatorum. | XVII. De falsariis clericis & lai-
cis quocumque modo. |
| VIII. De immoderatis sumptibus
visitatorum. | XVIII. De his qui a laicis insti-
tuuntur. |
| IX. De monialibus in claustris cō-
munem vitam non ducentibus. | |
| X. De pluribus beneficiis curam a-
nimarum habentibus. | |

HÆC SVNT INSTITVTA VENERABILIS
domini Friderici archiepiscopi ecclesie Saltzburgerensis, apo-
stolicæ sedis legati, instituta in prouinciali Concilio
Saltzburgerensi anno Domini MCCLXXXI.

PRÆFATIO.

CVM instantia nostra quotidiana esse debeat sollicitudo
ecclesiarum nobis commissarum, ideo ad laudem &
gloriam Domini nostri Iesu Christi, qui est omnium bo-
norum solidum firmamentum, nos Fridericus Dei gra-
tia sanctæ Saltzburgerensis ecclesie archiepiscopus, apo-
stolicæ sedis legatus, Hanno, Vvilielmus, Bruno, * Thimon,
Bernhardus, Gerardus, Frisingensis, Ratisponensis, Pata-
uiensis, Brixinensis, Chimensis, Secouensis, Lauentinen-
sis, episcopi, Saltzburgæ in prouinciali Concilio congre-
gati infra scriptas constitutiones ex causis rationabilibus

solenniter ac communiter edidimus, & promulgatas publice mandamus per eandem prouinciam inuiolabiliter obseruari.

ANNO
CXXXIII.

CAPITVLA.

I.

Quia multi prælati bona ecclesiastica alienant, vendunt vel distrahunt minus iuste, vel etiam locationes longi temporis & nociuas faciunt, de eisdem statuimus, vt nihil talium de cetero attentare præsumant, nisi expresse auctoritate episcopi, & consensu conuentus monasterii accedente, alias locatio & alienatio prorsus sit irrita, & alienator ab administratione temporalium, & ab ingressu ecclesiæ tamdiu sit suspensus, donec ecclesiam reddat indemnem. Et vt circa hæc fraus & alienationis materia præcludatur, volumus vt sigillum capituli non apud abbatem, vel apud prælatum, sed apud maturiores & fide digniores tres fratres capituli referuetur.

II.

Item, ne etiam res ecclesiasticæ in vsu indebitos conuertantur, & fidelis dispensatio prælatorum apparentius elucescat, diffinimus, vt de bonis ecclesiæ semel in anno prælatus cuiuslibet conuentus ecclesiæ conuenientium suo de omnibus redditibus & prouentibus monasterio plenam faciat rationem, præsentem episcopo, vel eius nuntio ad hoc specialiter deputato, si episcopus fuerit ad hoc requisitus: & bis vel ter in anno a suis officialibus, monachis & laicis computationem discretam faciat & fidelem: alioquin incidit supradictam *.

* fere
p. 220

III.

Item a festo Martini ab omnibus religiosis vsque ad natiuitatem Domini ieiunium obseruetur : & a quinquagesima eisdem præcipimus ieiunium in cibis quadragesimalibus inchoare : saluis omnibus ieiuniis aliis a suorum regulis institutis.

IV.

Item statuimus, vt monachi vel regulares, nisi a notitia præsentium infra dies quindecim, vel ante ad manus suorum offerant prælatorum, vsque ad restitutionem debitam ab officio sint suspensi ; & nihilo minus, si manifesta sit proprietas, carcerali custodiæ mancipentur.

V.

Item vt habitus debitus vnicuique religiosos & religiosas distinguat a sæcularibus, a quibus debent esse vita & moribus separati ; volumus etiam vt quilibet religiosi & religiosæ, tam monachi, quam extra monasteria, veste suæ religionis vtantur, & vestes sæculares nullatenus assumere præsumant.

VI.

Item inhonestos & indecentes religiosorum discursus amputare volentes, determinamus vt quicumque prælatus monachum fugitiuum vel eiectionem ad admonitionem episcopi, rectorum vel visitorum ordinis non receperit, extunc sit a temporalium administratione suspensus, donec recipiat monachum vagabundum. Vt inquietos & inobedientes coercere possint per pœnas in sua regula constitutas, & mancipare carceribus penitus incorrigibiliter obstinatos, vbi magis visum

fuerit expedire, quod de consilio ordinarii ad alia
sui ordinis claustra destinentur.

VII.

Item, licet felicitatis recordationis Gregorius papa nonus providere statuerit, ut in singulis regnis seu provinciis prelati ordinis sancti Benedicti de triennio in triennium capitula regularia celebrare deberent, & nos idem statutum in provinciali duxerimus innouandum; quia tamen nullus fructus adhuc est ex predicto statuto & innouatione, repetita vice decreuimus eadem capitula celebrari; iure tamen ordinariorum per omnia saluo.

VIII.

Item ne monasteria immoderatis visitatorum sumptibus grauiter onerentur, statuimus ut quilibet abbas, qui pro tempore visitator fuerit, vel etiam capitulum generale accesserit, octo cuectionum numerum non excedat: inferiores vero abbates paucioribus sint contenti.

IX.

Item cum dolore accepimus, quod quaedam moniales in eodem monasterio communiter habitantes communem vitam non ducunt, nec in eodem comedunt refectorio, sed seorsum per cameras speciales. Volumus igitur ut communiter regularia loca frequentent, & in eodem refectorio communibus cibis utantur. Et quod abbatissa ab aduentu Domini usque in octauam epiphaniae, & a septuagesima usque in octauam paschae, in dormitorio dormiat, & in refectorio comedat cum eisdem.

X.

Item cum in nostro prouinciali Concilio proxime celebrato clericis plura beneficia curam animarum habentibus duxerimus iniungendum, vt infra certum terminum & tempus dispensationis suæ fidem nobis facerent, vt vltimo eis remanente beneficio iuxta Lateranense Concilium prioribus essent ipso iure priuati, ex superabundanti expectantes expectauimus vsque modo. Quare volumus districte præcipientes, vt durante tempore præsentis nostri Concilii literas suæ dispensationis nobis exhibeant; alioquin quod prius contra tales beneficiatos statutum est efficaciter exequemur, huiusmodi beneficia tamquam de iure vacantia personis idoneis conferendo.

XI.

Item licet rectoribus ecclesiarum qui a residentia excusantur mandauerimus in proximo Concilio, quatenus personas idoneas ordinarent in ecclesiis suis in perpetuos vicarios institui, ac locari trimestri tempore ad hoc exequendum indulto: tamen quia in hoc exhibuerunt se aliqui negligentes, nos institutionem huiusmodi vicariorum, seu locationem ecclesiarum, simul & moderamen præbendarum, præcise ad nostram prouidentiam reuocamus, sublata eis omni circa prouisionem huiusmodi potestate, vt sic puniantur ex eo in quo delinquere præsumperunt.

XII.

Item sub velamento aduocationis nonnun-

quam grauantur monasteria conuentualium, pa-
rochialium, & aliarum ecclesiarum libertas & im-
munitas perturbantur; decreuimus, vt omnes qui
occasione huiusmodi aliquod ius sibi vendicant in
ecclesiis, nisi de iure suo ordinarium loci contra-
ctum fecerint, ante festum sancti Ioannis Baptistæ,
quem eis ad hoc terminum peremptorium assi-
gnamus; extunc super hoc de cetero nullatenus
audiantur; & clericus, qui se non opposuit taliter
vsurpanti, pœnam sustineat nuper in Lugdunensi
Concilio statutam.

XIII.

Item, cum hi qui violentas manus mittunt in
clericos incidant ipso facto in Canonem legitime
promulgatum, districte præcipimus, vt in paro-
chia, in qua tale delictum commissum fuerit, vel ta-
lis malefactor domicilium habuerit, rectores illa-
rum ecclesiarum ipsum excommunicatū deuentent,
& denuntient singulis diebus dominicis & festiuis;
vt sic rubore perfusus ad matrem ecclesiam citius
reuertatur: illos vero clericos, qui vel alios nomi-
natim excommunicatos, vel interdictos ad diui-
na, vel ecclesiasticam sepulturam scienter recepe-
rint, ab omni officio ecclesiastico suspensos decer-
nimus remanere, vtpote qui sua temeritate nitun-
tur frangere neruum ecclesiasticæ disciplinæ, &
eum qui in prædictam denuntiationem, postquam
sibi per ordinarium fuerit demandatum, negli-
gens fuerit aut remissus, per quindecim dies ab
ingressu ecclesiæ, & ab officio sit suspensus, &
culpam reiteratam pœnæ reiteratio subsequatur.

ANNO
CHRISTI
1181.
Mons.
scriptum
habet, c.
munitas

ANNO
CHRISTI
1131.

Monemus etiam religiosos quoslibet, vt circa prædictum statutum ordinationem recolendæ memoriæ domini Guidonis curent inuiolabiliter obseruare.

XIV.

Item statuimus, vt quicumque violenta sanguinis effusione cœmeterium vel ecclesiam execrauerint, ad expensas pro reconciliatione impendendas, execrationibus huiusmodi † teneatur. Si soluendo fuerit rebellis, per censuram ecclesiasticam a rectore loci auctoritate huius Concilii arctetur: si vero soluendo non fuerit, alias pro ipso diocesani arbitrio puniatur.

† Hæc uocula in manu scripto desiderabatur.

XV.

Item statutum bonæ memoriæ Guidonis contra patronos & iudices & præcones editum, qui bona inuadunt decedentium clericorum pro necessitate temporis aggrauantes, statuimus vt raptores rerum huiusmodi vacantium ecclesiarum ipso iure excommunicationem incurrant: & in locis, ad quæ eadem bona violenter ablata deducta illa eo fuerint, postquam hoc ecclesiarum rectoribus innotuerit, cessetur tamdiu a diuinis, donec subrepta eadem successori defuncti reddantur, & in loca pristina reportentur, & alias satisfactio competens subsequatur. Et hoc statutum non solum ad futura, sed ad præterita extendatur.

XVI.

Item reminiscens Moyse serui Domini, qui hostes populi sui non ferro pugnando, sed prece orando deiecit, statuimus vt per præsentis anni de-

P/al.3.

cursum in instanti aduentu Domini inchoandum, in singulis cathedralibus, conuentualibus & parochialibus ecclesiis, psalmus, *Domine quid multiplicati*, cum oratione dominica, & versu, *Fiat pax in virtute tua*, *Esto nobis turris fortitudinis*, & collecta, *Deus, a quo sancta desideria*, clerus, prouoluitis in terram genibus, & erectis in cælum cordibus, in Missa post tertium Agnus Dei quotidie semel dicat: *Quatenus Dominus noster Iesus Christus, rex pacificus, sedatis tribulationibus, & ecclesiarum persecutoribus & inuasoribus humiliatis, pacem in populo suo multiplicatis intercessoribus largiatur.*

XVII.

Item ad falsariorum malitiam reprimendam diffinimus, vt qui clerici vel laici sigilla vel literas principum vel prælatorum falsare, vel falsis scienter vt præsumunt, aut etiam falsam monetam cudere, vel quodcumque æs seu metallum adulterine fabrefacere, aut his omnibus vel similibus vt scienter præsumpserunt, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Clericis nihilo minus, si de hoc conuicti fuerint, carcere episcopali mancipandis: laicis autem sæculari iudicio condemnandis.

XVIII.

Item constitutio Concilii proxime celebrati, quæ clericis de manibus laicorum, antequam per ordinarios instituantur, ecclesias recipientibus pœnas ingerit & infligit, in eo, quod experientia deesse docuit, supplere volentes, statuimus vt qui-

ANNO
CHRISTI
1281.

cumque clericus contra processus pœnas, & ordinationes ordinarii, contra eum habens defensionem præsidio laicorum, illaque ausus fuerit uti, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. Verum cum parum sit iura condere, nisi sint qui eadem tueantur, præcipimus, quatenus salutaria nostra monita, ut moribus vrentium approbentur, in quatuor temporibus anni, in singulis cathedralibus & conuentalibus ecclesiis recitentur. Rectores vero ecclesiarum ipsa scripta habeant, & per singulas Synodos ab archidiacono de earum rerum obseruantia interrogari præcipimus, & inquiri, & nihilo minus sine delectu personarum * præuiemus in obedientiam, qui nostrarum sanctionum inuenti fuerint contemptores.

V I T A

HONORII PAPÆ IV.

ANNO
CHRISTI
1285.

HONORIVS quartus, patria Romanus, ex illustri Sauellorum familia natus, Iacobi nomine antea vocatus, Perusii, pontifex electus est, quarto Nonas Aprilis anno Domini 1285. tempore Rudolphi imperatoris. Adeo podagris & chiragris impediabatur, ut non nisi instrumentis ad id affabre compositis suffultus celebrare posset. Prudentia & consiliis nulli erat secundus. Excommunicationem contra Petrum regem latam renouauit, ideo quod omnibus conatibus regnum Neapolitanum affectabat. Parum etiam absuit quin Genuenses interdicto notauerit, quod Pisanos obstinate persequentes apud Lamellum ingentibus cladibus affecissent. Guidone Feltrano, a quo inquietabatur, mortuo, Flaminiam recuperauit. Carmelitarum ordinem, cappis eorum nigris in albas commutatis, vna cum ordine Eremitarum, antea Parisiis exagitatum confirmauit: non quod illi celeberrimi ordi-